



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

IV. De Effectibus Consuetudinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](#)

bona fides, arg. e. Vigilanti s. & c. fin. de Praescript. etiam si ejusmodi jus laudatur & perimitur à communitate, omissiones solutionis, decimarum vg. Ecclesia debitarum, tempore legibus definito sine interruptione continuante; quia etiam à corpore Politico vg. civitate, oppido, Capitulo vel alia universitate per actuum vel omissionum continuationem facta alieni juris peremptio, licet à DD. in Foro & Scholis etiam Consuetudo frequenter nuncupetur, magis tamen propriè præscriptio est; cum tali casu universitas seu communitas respectu Ecclesiae vel alterius, cuius jus leditur aut perimitur, tanquam persona privata & particularis reputetur & consideretur, ut eruditè utilissimè obseruant Suarez Lib. 7. de LL. cap. 11. num. 11. Palao Tract. & disp. 3. p. 1. n. 3. & novissimè Eminentiss. Card. de Luca Theatri V. & J. Tract. de Juris. & Foro compet. disc. 34. n. 28.

## ARTICULUS. IV.

### De Effectibus Consuetudinis.

#### SUMMARIUM.

37. Effectus Consuetudinis :
38. Non derogantia Naturali, Divino,
39. Et Gentium Juri :
40. Sed Civili tantum & Ecclesiastico.
41. Ea, istò introductis Sacramentalibus,
42. Obligationi & Pene,
43. Et harum utriusque soli derogandæ vim habet,
44. De vi Clausule, Non obstante quâvis Consuetudine,
45. Quæ, et si futura,
46. Non tamen derogat Consuetudini immemoriali,

47. Vim Privilegii habenti,
48. Ubi incapacitas aliquid sine privilegio obtainendi,
49. Et juris resistentia non obstat.
50. Quæ vim adimunt Consuetudini immemorialis :
51. Nisi cum ista concurrat fama privilegii,
52. In vim probationis privilegii allegata :
53. Ex qua orta presumpcio in utroque Foro prodebat :
54. Licet Juris & de Jure non sit,
55. Et, virtuosi tituli notitia superveniente, elidatur.

**E**spectus rationabilis & legitimè 37. præscriptæ consuetudinis sunt, legem humanam vel de novo introducere, vel ante existentem firmare aut interpretari, vel derogandò mutare, aut omnino tollere abrogandò, juxta dicta num. 8.

Dico, Humanam : non Naturalem aut Divinam, per textum & Glossam in c. fin. V. Naturali Juri. Ratio de Naturali est; quia hoc jus immutabile est, §. Sed naturalis 11. Inst. de J. N. G. & C. De Divino autem, quia Consuetudo est Jus merè humanum non scriptum, §. Consistat 6. Inst. eodem. moribus sive tacita conventione populi & approbatione, saltem legali, superioris introductum, L. De quibus 32. & seqq. ff. de LL. Potestas autem humana quæcumque, utpote inferior, prævalere nequit Divinæ, arg. can. Inferior q. disp. 21. &c. Cum inferior sit de Majorie. Quæ Jus Consuetudinarium contra suas leges nunquam approbavit, Azor p. 1. Inst. lib. 5. cap. 17. quest. 3. Hæc certa.

Dubium autem est primò, de Jure 39. Gentium : cui an Consuetudine derogari possit, dubitandi ratio est; quod c. fin.

Dd Juri

Juri solidū Naturai & Divino contraria consuetudo rejiciatur. Sed, hanc etiam Juri Gentium prevalere non posse, cum Panormit. in c. fin. cit. n. 23. & Bartolo in l. Omnes populi 9. ff. de J. & J. num. 21. probabilius defendunt Rochus de Curte Tract. de Confuet. s. 5. n. 16. & cit. Azor cap. 17. q. 4 quod non appareat, quomodo illi contraria consuetudo possit esse rationabilis; cum in eius præcepta, dictante ratione naturali, omnes gentes idem consenserint; quod ad stabiliendum inter ipsas commercium necessaria, aut summe utilia esse viderentur. Accedit quod tacitō omnium gentium consensu, à quo illud jus ortum est, nec traditæ, nec approbatæ sint Leges, vim aliquam tribuentes consuetudini, adversus ipsum introducenda: à particulari autem Principe, utpote inferiore, ferri non possint, ut Baldo & Jalone allegatis, probè adverbit Palao tract. & disp. 3. p. 4. s. 2. n. 12. Sed resolutio hac de Jure Gentium propriè dicto duntaxat procedit, juxta dicta Procem, num. 60.

- Dubium secundū est de Jure, sive 40. Lege humana scripta, saltem Ecclesiastica, quod oritur ex c. Ad audiētiam 3. & c. fin. cit. quorum textuum posteriori consuetudini, et si non vilia autoritas adstruatur, expresse tamen negatur vis, qua Juri Positivo valeat prejudicium generare: priori verò Confuetudo, que Canonices obviat institutis, nullius dicitur esse momenti. Similia habentur c. Cùm venerabilis 7. & c. 1. in 6. ubi Confuetudo, que sacrā est inimica Canonibus, tanquam corruptela, disertè reprobatur. Verum hos, eisque confonos textus alios de irrationabili, & non legitimè præscripta consuetudine intelligendos, rectè notat Glossa fin. in c. Cùm causa 8. de Sent. & re judic. ex qua à contrario ductò argumento eā, si rationabilis & legitimè præ-

scripta sit, tam Ecclesiastico quām <sup>Civili</sup> Juri cuicunque derogari, inīo ejus dispensationem aliquam omnino abrogari posse, à TT, & Canoniflis passim recepta & generalis Regula instar tradunt Navarus Consil. 1. de Majorit. num. 3. Suarez Lih. 7. de LL. cap. 19. num. 27. & Laimanii c. fin. cit. num. 5. propter generalitatem textū c. fin. cit. irrationalib[us] duntaxat & non legitime præscripta consuetudini, Juri positivo derogandi vim negant: & L. De quibus cit. legibus derogandi vim eandem tacito conueniū omnium, hoc est, moribus populi, & Legislatoris suffragio tribuentis. Unde

Infertur primò, Confuetudine, est novae Legis Sacramentorum materia & forma à Christo determinata; quod juris Divini sit, tolli aut mutari non possit tolli tamen & mutari possit Ceremonia ad illorum substantiam non pertinent, ut cum eodem Navarro Manual. cap. 28. num. 83. & Covarruvia de Sponfal, p. 2 cap. 6. & 10. num. 19. & alii docet laudatur Suarez n. 26. & colligit, ex can. Trina 80. de Consecrat. disp. 4. ubi Baptismum, unā vel trinā mersione, propter ecclesias consuetudine, conferuntur posse, haberur.

Infertur secundū, ejusdem Confuetudinis vim se extendere non tantum ad obligacionem legis sive, ut per hanc inducit obligatio cestet: sed etiam ad penam, quam inficitur à Jure & ipso factō contrahendam, quām per sententiam judicis infligendam: imò etiam ad valorem & nullitatem Jure positivo Humano introdit. Etiam ita, ut actus, à Jure irritatus, vi consuetudinis subsistat, & de Jure validus & iusdem vi irritus sit, cit. Suarez n. 1. & 14. & Salas de LL. disp. 19. s. 10. Quod et si nemo faciliter inficietur,

Dubium tamen ulterius tertius & controversia quedam est, an ejusmodi

Juri derogari possit, quoad obligationem ad solam culpam, vel solam poenam ita, ut altera tollatur, altera remanente. Ratio dubitandi de obligatione ad solam culpam est; quia pena, cum peccati ultio & noxa vindicta sit, *l. Aliud 131. pr. ff. de V. S.* necessarium culpam supponit; quia, ut *S. Augustinus Lib. Rerarum. cap. 9.* ait, *Omnis pena, si justa est, peccati pena est, & supplicium nominatur.* De obligatione autem ad solam poenam; quia legis transgressor, hoc ipso; quod delinquit, poena obnoxius est, & propterea, legis obligatione manente, eadem decretam poenam tolli non posse, videtur *Alphonso à Castro de Legi Pœnali lib. 2. cap. 12.*

Sed melius Consuetudine Juri positivo ita derogari posse, ut culpam manente obligatione ad poenam: & hanc manente, illa tollatur, cum Panormit. *in c. 1. de Treuga num. 4.* & communis sententia aliorum defendit *cit. Suarez n. 3. & 11. & Pirrhing ad hanc Rubricam n. 72.* Quod, legis obligatione manente, ita tolli poena possit, patet ex can. *Cum multæ 15. q. 8. & Extravag. Ambitiosa de Reb. Eccles. alien.* quorum textuum priori quidem in clericos concubinarios & fornicarios: posteriori vero in Praelatos aliósque administratores Ecclesiarum, istatum res male alienantes, prodita sunt variæ poenæ: quarum tamen hodie non omnes & ubique ab his & illis, quantumvis graviter delinquentibus, contrahuntur; ut proinde verissimum sit pronuntiatum *Glossæ in can. Denique 6. V. Consuetudini diff. 4. observantis, Consuetudinem nem aliquid à temporali, sed non gehennali, poenâ excusare.* Idem atque etiam, quod manente poenâ, obligatio ad culparum tolli possit, suadet ratio; quia Juri Polito derogari potest, quin id omnino abrogetur, *L. Derogatur 101. ff. de V. S.* sámque ob causam, sicut Jure sive lege alii-

quid præcipi vel prohiberi, quin poena decernatur in ejus transgresores: & vicissim sub onere poenali aliquid statui, quin conscientiae obligatio imponatur, juxta dicta *Tit. 2. n. 78.* ita etiam Consuetudo Jure inductam poenam tollere, remanente culpâ, & contraria poenali onere remanente, obligationem conscientiae sive ad culpam propriæ dictam, tollere poterit; quia legitimè præscripta consuetudo vim legis habet, can. *Conquerendo s. diff. 1. l. De quibus &c. Sed & ea cit.*

Neque contrarium perluadet ratio dubitandi; partim quia; et si culpa necessariò præsupponatur à poena accepta strictè sive, quæ rationem habet vindictæ, cuiusmodi sunt, quibus legis suæ transgresores castigat Deus: latè tamen, & pro solo onere damno vel incommmodo aliquo sumpta, non necessariò culpam propriæ dictam sive peccatum, sed aliquando causam tantum prærequirit; cum, ut *l. cit. dictum,* dentur leges merè poenales: partim vero, quia, et si culpam sive peccatum committens alicui, non tamen necessariò lege humanâ, sive ab homine decreta poena obnoxius est.

Dubium quartò est de Jure sive lege, 44. munita clauſulâ, *Non obstante quavis consuetudine:* cui, an istâ derogari possit, admodum variant DD. Ego dubium resolvendum ope distinctionis: & impri- mis quidem nulla consuetudine derogari posse censeo legi reprobanti eam, tanquam contrariam Juri Naturali aut Divino, vg. quâ licita fierent adulteria furta, usurpationes, aut tolleretur ritus substantialis Sacramentorum; quia talis consuetudo deficeret in rationabiliitate, *Glosfa & DD. in c. fin. cit.* Alias limitationes assert Laiman *Lib. 1. tr. 4. cap. 24. n. 9. §. Id tamen &c.*

Deinde, ob eandem ferè rationem legi, consuetudinem reprobanti, propter

*D 2 certas*

certas circumstantias, quæ illam irrationaliter reddit, vg. quod diminuat cultum Divinum, inducat perversiōnem iudiciorum, nutrit peccatum, derogari non potest, quamdiu ejusmodi circumstantia perseverant, Panormit. in c. Sicut 2. de Probat. n. 7. & 8. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 13. n. 4. & Suarez cit. cap. 19. n. 24. Rationem reddens; quia talis confuerudo perseverat esse irrationaliter; id est nunquam habet conditiones, ad veram consuetudinem c. fin. sit. requi-

tas. Si vero ejusmodi circumstantiae cum tempore cessent, legi propter eas consuetudinem prohibenti, aut etiam reprobanti, ista derogari posse, cum cito. DD. probabilitus defendunt cito. Pirrhing. num. 68. & Palao p. 4. §. 2. n. 10. partim; quod talicasu cesser lex ob cestante ejus rationem, arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. partim vero; quod hujusmodi legi derogari possit lege contraria, cur non etiam consuetudine? cui vis legis tribuitur, can. Consuetudo l. De quibus cito. præsertim cum mutatio circumstantiarum, quæ legem, etiam consuetudinem rationabilem & communitatē utilē reddere possit. Recte tamen cito. Suarez n. 22. & Pirrhing. n. 67. advertunt, consuetudinem, quæ à Jure reprobata est tanquam irrationaliter, semper talem præsumi: nisi postea facta mutatio circumstantiarum, & ab ista pendens rationalitas probentur.

45. Dubium quinco est, an per clausulam, Non obstante quavis consuetudine, solummodo præterita & præfens reprobetur. Quod, et si cum non paucis magni nominis DD. affirment cit. Pirrhing. n. 65. & Engel Coll. Jur. Canon. hoc tit. num. 23. probabilitus tamen clausula illa, generalibus & ad quamcunque indifferenteribus verbis appositā, etiam futuram re-

probari, cum Tiraquello de Retract. pref. à n. 18. Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 13. n. 4. & alios docens Sanchez Lib. 7. & Matrim. disp. 4. n. 13. Haunoldus de Juris Privat. tract. Proœm. n. 146. & DD. alii, id deflentes ex e. Ad nostram 3. §. Cum inter 5. Rationem reddunt; quia ejusmodi reprobatio fit in favorem legis, latet in bonum Reipublicæ; ideoque latet interpretanda est, arg. Reg. Odia 15. int.

Neque verbis illis præteritam duum taxat ac præsentem consuetudinem excludi, recte arguitur ex eo; quod legi & canonis conditores quandoque expellit reprobent futuram; quia hoc explicatio potius quam necessitatis causâ aliquando faciunt; ne, verbis generalibus futuram quoque reprobari, faciliter in dubium & questionem vocetur: ex qua causa ea, qua jure insunt, exprimi non raro tolerant, ut omnis dubitatio removatur, l. Qui mutuam 56. pr. ff. Mandati & l. Que dubitationis 81. ff. de R. J. Dicius in hanc l. Fin l. Mutuum 2. §. 3. ff. de Reb. credit. n. 19. & Palao cit. §. 2. ff. 9. in fine.

Eadem clausula consuetudinem ei am immemoriam tolli, existimant alii qui relati à Barbosa in c. fin. cit. n. 8. Sel melius, etiam immemoriam (uti etiam speciale) alicuius loci particularis, arg. c. de Confit. in 6. & Reg. Generi 34. in l. nisi ejus expressa mentio fiat: vel, nullus consuetudo, tanquam iniqua, aut Juri Naturali vel Divino contraria dantur, abrogari, negant Panormit. in c. fin. cit. n. 35. Covarruvias cit. cap. 13. n. 5. Laiman. Lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 7. claus. 2. & multis aliis relatis cit. n. 7. quia ea, cuius initii memoria non extat, auctoritatem multo majorem, quam aliae consuetudines, arg. c. 1. de Prescript. in l. imo Privilegiis, à Principe specialiter concessi, vim habet, can. Conquestus jundi Giuffi

Glossa V. Consuetudo 9. q. 3. c. Super 26.  
V. Memoria de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4.  
ff. de Aqua quoridam cui per clausulam ge-  
neralem, consuetudini derogantem, non  
derogatur, Palao tract. 3. disp. 3. p. 5. §. 1.  
n. 10. & Haunold. de Jure Privat. tract.  
proam. n. 151. Unde

47. Dubium sextum oritur, an ergo  
quæcunque Privilégio vel indulté Prin-  
cipis, etiam consuetudine, saltem immem-  
oriali valeant acquiri. Quod quasi pro  
Regula VV. ICTI tradunt cum Glossa  
marg. can. Conquestus cit. & Innocentio  
in c. Novit. 13. de Judicis n. 5. suadé-  
que ratio; quia tanti temporis consue-  
tudo, ut dictum, æquiparatur privilegio,  
text. cit. habeturque loco tituli legitimè  
confituti & probati, qui ex immemo-  
rialis temporis cursu præsumuntur; ut,  
istò concessò vel probatò, melior titulus  
de mundo, ut ajunt, nequeat allegari,  
Gonzalez in Reg. 8. Cancell. Gloss. 23. n.  
4. & aliis relatis Barbola in c. Super cit.  
n. 7.

Nihilominus pro Regula haberi u-  
niversaliter non potest, partim; quia sæ-  
pe ex speciali aliqua causa rationabilis &  
expedienter concessio esse potest pro una  
aut altera vice, vel una aut paucis aliquot  
personis, quin talis sit, si fiat cum stabili-  
tate aut toti communitatì; sic enim in  
particulari aliquo casu Magistratus latro-  
ni vitam condonare, aut poenam corpo-  
ralem in pecuniariam commutare potest,  
quin id statò vel consuetudine fieri  
queat, ut in c. 1. in 6. observat Laiman  
n. 4. partim vero; quia vi nullius, etiam  
immorialis, consuetudinis simplici  
fæceroi competere possunt, quæ ab Ec-  
clesia reservata sunt Ordini Episcopali;  
ut est collatio Sacramenti Confirmationis,  
c. Quanto 4. vel immunitas ab obli-  
gatione obseruandi interdicta Ecclesiasti-  
ca, c. Cum inter 5. vel; ut in Ecclesia ali-

qua retineri simul possint duo canonica-  
tus, Personatus vel Dignitates, cit. c. 1.  
in 6. Eòdem modò vi Præscriptionis e-  
tiam immorialis acquiri à laicis ne-  
queunt jura decimandi, eligendi, con-  
ferendi beneficia Ecclesiastica, in istorum  
pluralitate vel residendi obligatione di-  
spensandi, per text. aut arg. c. Causam 7.  
de Præscript. & tamen hæc omnia privi-  
legio aut dispensatione Papæ acquiri pos-  
se, omnes facile concedunt.

Quare Regula, *Acquisibilia privi-  
legiò acquisibilia sunt consuetudine vel  
Præscriptione, saltem immoriali, re-  
stringenda est dupli exceptione.*

Prima est, nisi ex parte eius, pro  
quo immorialis Consuetudo vel Præ-  
scriptione allegatur, detur incapacitas abs-  
que titulo vel privilegio possidendi id,  
quod Privilégio acquiri potest, ut arg.  
c. Causam 7. de Præscript. cum Felino in  
c. Accedentes 11. eod. tit. n. 6. & Panor-  
mit. ibid n. 3. aliisque Interpp. ac DD.  
tradunt Craveta de Antiquit. Temp. p. 4.  
§. Materia n. 78. & 93. & Laiman cit.  
cap. 24. n. 9. Ratio clara est; quia, hoc  
ipsò; quod præscriptione sine possessione  
non procedat, per l. & c. Sine possestione  
25. ff. de Uso cap. & de R. I. in 6. qui ca-  
pax non est possessionis alicujus rei, hanc  
per præscriptionis & huic æquiparatae  
consuetudinis, etiam immorialis, viam  
acquirere non potest.

Altera, nisi ejusmodi consuetudini, 49.  
uti etiam præscriptioni resistat Jus, eä-  
que, tanquam abusus vel corruptela, à  
lege & Canone præsertim reprobetur, ut  
cum iisdem Felino n. 15. & Panormit. n.  
3. & c. Quanto n. 2. docent cit. Cravet-  
ta n. 44. & Laiman n. 9. Ratio non mi-  
nù clara est; cum enim Consuetudo, ut  
etiam Præscriptione, vim omnem debeat  
legibus & SS Canonibus, quibus intro-  
ductæ & approbatæ sunt, locus illis non

D d 3

erit

erit respectu rerum & Personarum, respectu quarum ipsis memorata Jura reli-  
stant, *i. Ubi lex 24. ff de Usucap.* Un-  
de quoad jura, quorum possessionis per-  
sona capax non est, aut præscriptioni vel  
Confuetudini Jus resistit, major vis est  
privilegii à summo Principe obtenti,  
quam Confuetudinis vel præscriptionis e-  
tiam tanti temporis, cuius initii memo-  
ria non existit; quia summi Principis pri-  
vilegium habilitat personam in capacem  
& Juris resistentiam tollit: quā vi Con-  
suetudo & præscriptio illa non pollet,  
Craveta §. Materia cit. n. 94. Peregrin.  
de Jure Fisci lib. 6. tit. 8. n. 19. Gabriel  
Lib. 5. de Præscript. conclus. 1. n. 18. &  
Laiman cit. cap. 24. n. 9. in fine. Sed hinc

Dubium septimum nascitur, an di-  
cta possessionis incapacitas & resistentia  
Juris Consuetudini & præscriptioni im-  
memoriali etiam obfet, quando cum im-  
memoriali tempore concurrit fama, seu  
constans & publica existimatio privilegii  
Apostolici aliquando obtenti. Dubitan-  
di ratio de Negativa est: quod ejusmo-  
di temporis cursus cum fama sive existi-  
matione illa careat vi tollendi incapacita-  
tem personæ Jurisque, Præscriptionem &  
Confuetudinem tanquam corruptelam  
reprobantis, resistentiam; cùm has tol-  
lendi vis temporis & fama illi à Jure col-  
lata non reperiatur: incapacitate autem  
& resistentia illa non sublati, ulla Con-  
suetudo & præscriptio, juxta dicta, non  
procedat. De Affirmativa autem; quod  
fama & existimatio illa, immemorialis  
temporis cursui accedens, det causam  
credulitati, fundēque præsumptionem  
justi tituli præcedentis, sive privilegii su-  
per ejusmodi juribus à fede Apostolica  
aliquando obtenti; ut jus, quod imme-  
moriali tempore ita exercetur, non jam  
vi Consuetudinis & præscriptionis imme-  
morialis: sed vi justi tituli seu privilegii

Apostolici exerceri & competere censem-  
tur: licet titulus seu privilegium exhibi-  
beri non possit, Panormit. in c. De qua-  
ta 4. de Præscript. n. 10. Cravetta §. cit.  
n. 96. Mascard. de Probat. concl. 1371.  
n. 32. & Laiman cit. n. 9. qui propter  
monent, casu, quō juris exercitiū immemoriali  
tempore continuati, persona capax non est, vel Confuetudini & præscriptio  
Jus resistit, non proficeri allegationem tanti temporis, cuius initii memoria  
non existit: sed opus esse allegatione  
tituli seu privilegii Apostolici: &  
ad allegati hujusmodi tituli probationem  
sufficere allegationem ac probationem  
temporis, omnium hominum memoriam  
excedentis & cum fama illa concurrentis.  
Ea autem probatio regulariter facienda  
est per testes, de privilegiis Apostolici al-  
quando obtenti, itiūque prætextu ultro  
omnium hominum memoriam exercitū  
juris fama seu constante & publica existi-  
matione deponentes, ut Lib. 2. m. 2.  
n. 108. plenius tradetur.

In utramque partem deducatur  
rationum utrique aliquid tribuendum,  
statuendūque est, dicā quidem incapa-  
citate Jurisque resistentia Confuetudi-  
ni & præscriptionem immemoriali  
excludi; ut pro jure, cuius possessionis  
persona est incapax, vel præscriptione  
resistit Jus, allegatus & probatus immemorialis  
temporis cursus & constantissima  
concurrus non proficiat: proficiat  
tamen & sufficiat allegatio tituli vg. pri-  
vilegii Apostolici, si in vim probatione  
hujusmodi tituli allegetur, ac probetur ut  
ipius temporis omnium hominum memo-  
riam excedentis, eoque tempore ejusmo-  
di tituli prætextu juris exercitū con-  
tinuarum, famam constantem & existi-  
mationem publicam fuisse. Ratio illa  
quia, ut dictum, ista fundat præsum-  
ptionem justi tituli seu privilegii Apo-  
stolici

stolicī obtenti super jure , cuius exercitium ita est continuatum ; ut porro exerceri in utroque Foro possit : in Extremo quidem ; quia ex Scavolae ICTI responso illi , qui juri dicundo præsumt , tueri solent aquaductus & alia jura , quibus autoritatem veritas daret , tametsi ius non probaretur , l. fin. ff. de Aqua pluvia arc. in Interno verò ; quia in hoc foro , majores & antecessores juris exercitium iustè bonaque fide continuasse potius , quam per vim aut injuriam usurpare , præsumuntur ; cum unusquisque præsumatur bonus , nisi contrarium ostendatur , c. fin. de Præsumpt. &c. Merito s. ff. Pro socio Felin. in c. Causam 7. de Prescript. n. 3. Sylvester V. Decima q. 10. d. 2. Covaruv. Lib. 1. var. cap. 17. n. 5. ad finem Balbus de Prescript. p. 5. q. 7. n. 21. & Suarez de Decimis cap. 27. n. 5.

Dubium octavum est , an in vim probationis privilegii deductus & probatus cursus temporis immemorialis famaque constantis concursus , quoad acquisitionem & retentionem iurium , quorum præscriptione lex aut canon resistit aut possessionis persona capax non est , cedem vi polleat , quam quoad acquisitionem & retentionem rerum iuriumque , præscriptioni & personae possessioni obnoxiorum , habet possessio , bona fide & sine interruzione continuata tempore immemoriali . Quia in re pro Affirmativa stare non obscurè videntur Felin. n. 3. cit. & in c. Accedentes 11. de Prescript. n. 6. casu & fallent. 3. Alexand. Lib. 4. Consil. 74. & Purparat. in l. Imperium 3. ff. de Jurisdic. n. 192. præcipue nixi efficacia præsumptionis , ortæ ex temporis immemorialis & cum illo concurrentis famæ publicæ & constantis probatione .

54. Verum , quia præsumptionem hanc , sicut in ceteris , sic etiam in iuribus , per-

sonæ possessioni aut præscriptioni de Jure non subjectis , Juris & de Jure esse , ulla legi vel canone expressum , non est , Negativam meritò defendit Cravetta §. cit. n. 96. in fine & ante §. Absolutis à n. 51. quocum sentire videtur Laiman cit. tract. & cap. 6. n. 8. in fine & aperte sentiunt Pirrhing Lib. 2. tit. 26. n. 44. not. 4. & Engel Manual. Paroch. p. 4. cap. 1. n. 8. Ratio est ; quia ex immemorialis temporis cursu famaque seu constantis & publicæ existimationis concursu allegato ac probato ortæ præsumptioni , eō ipso ; quod eam Juris & de jure esse , ulla legi vel canone expressum non sit , opponi potest præsumptio tergemina : quarum prima ex ipsa personæ incapacitate Juris ve resistentia , altera ex assistentia Juris pro adversa parte vel aliquo tertio militantis , tertia ex initii vitio seu tituli vg. privilegiū falsitate vel nullitate apparente nasci solet : quibus & præsertim postremâ unica illa utique elidetur , arg. c. In nostra 4. de Procurat. &c. Divus 7. ff. de in Integ. restit. cùm explorati juris Regula sit , præsumptionem , eam præsertim quæ Juris & de jure non est , cedere compertæ veritati , l. Cùm de indebito 25 ff. de Probat. & l. Nuptura 57. ff. de Jure dot. Tusch. Practic. V. Præsumpt. concl. 612. à n. 1. & Steph. Gratian. Discept. for. cap. 831. n. 15. eāmque ob causam contra probatan temporis immemorialitatem probationes de titulo vitiosi admittunt tres famigerati Universitatis & Collegii nostri Juridici Antecessores , Facheus Lib. 8. Controvers cap. 33. ad 7. Canisius de Decimis cap. 9. n. 19. & Rath. de Uſtacap. cap. 5. assert 47.

His non parum roboris addit ; quod , si in vim probationis tituli allegatus & probatus immemorialis temporis cursus cum illo constantis famæ concursu ad propositorum iurium acquisitionem & retenti-

retentionem proficeret, imprimis elusoria redderetur dispositio Juris, præscriptioni & possessioni resistens; cum laici vg. qui spirituale vg. eligendi vel conferendi jus immemoriali tempore Ulurupassent, semper allegare titulum & ad illius justificationem immemorialis temporis cursum probare poscent: id autem quod Canonica vel legalis dispositio elusoria redditur, non sit admittendum, l. Si Praetor 75. ff. de Judicis, l. fin. ff. Ne quid in loco publ. & l. fin. §. 6. C. de Bonis qua liber. deinde id, quod una viâ & directe prohibetur, alterâ viâ & indirecte permitteretur, contra Reg. Cum quid u na 84. in 6. Quare, licet laicus præsumptionis ex immemorialis temporis cursu famaque concurlu orta beneficio iurium spiritualium exercitium continuare possit, etiam certum titulum allegare ac probare non valeat, casu tamen, quo in vitiis initii seu falsitatis aut nullitatis tituli, ex que ejusmodi jura antecessores exercere cuperunt, notitiam veniret, ea porro exercere salvâ conscientiâ non possit: & in Foro etiam externo permittendus non esset, si in judicium deductum initii vitium, seu falsitas aut nullitas tituli legitimè probaretur, Pirrhing & Engel l. cit.

Neque, ubi initii vitium & nullitas tituli unius patet, jus, cuius possessionis persona incapax est, vel præscriptioni lex aut canon resistit, ex alio justo validoque titulo detineri & exerceri à laico prælumendum est, ex detentio & exercitii immemoriali tempore continuauti diuturnitate; nam hoc Ferd. Vasquis p. 2. Illustr. Controvers. lib. 2. cap. 8t. n. 12. & 15. perperam & sine fundamento asserit; quia, cum de uno titulo præambulo constat, alium titulum præcessisse, licet potuerit, lex tamen & canon non præsumit. Quin potius res vel jus ex il-

lo titulo, quem præcessisse ostenditur, possesse præsumitur, l. Minus, 2. C. de Adquir. posse, ubi Bartolus n. 3. Pachineus cit. cap. 33. ad 4. & Bruneman in l. cit. n. 3. etiam si, qui præcessisse ostenditur, putativus & invalidus sit, Alciatus de Presumpt. Reg. 2. pref. 23. & Menoch. Lib. 6. præsumpt. 67. n. 7. §.

## ARTICULUS V.

De Consuetudinis  
Probatione, Extensione,  
& Mutatione.

## SUMMARIUM.

56. Consuetudo ab allegante,
57. Et in judicio plenâ probanda est;
58. Unius Doctoris assertione ita m probatur.
59. Extensionem regulariter non ab mittit.
60. Et derogatur Lege contraria;
61. Generali, si ipsa generalis sit,
62. Speciali, si lex clausulam derogatoriā habeat;
63. Saltem, si à Principe sit lata.
64. Consuetudo subsequens derogat pcedenti.

**P**orro consuetudinem, si notitia aut publica autoritate in scripta redacta non sit, ab allegante probandam, ex comuni DD. sed docent Mascard. de Probat. concl. 43. 4. & Barbola in c. Cum dilectus 8 n. 16. Ratio est, quia est quid facti, c. 1. de Constat. in 6. saltem ratione introductionis facta autem, cum plerumque etiam prædilectissimos & peritissimos lateant, l. omni 2. ff. de I. & F. ignorant. non præsumuntur: sed probanda sunt, 17. l. Cum in jure 31. de Officio delegati, 18.